



**H**einricus ille ob præclara corporis & animi bona cognomine Felix dictus est. Erat enim multis uirtutibus ornatus, atq; singulari eruditio-ne & prudentia conspicuus. Itaq; primò Præpositus ecclesiæ Moguntinæ constitutus fuit. Cum ue-rò eam uocationem magna dexteritate obiit, atque eius loci Archiepiscopus moreretur, omnium consensu in eius locum antistes designatus fuit, anno millesimo centesimo quadragesimo secundo. In ea dignitate cum constitutus eliet, atque uide-ret plurima uitia in clero adeo esse exorta, ut uix corrigi possent, ea summa diligentia paulatim corrigere, atque uirtutes plantare statuit. Itaque in

icelere depræhensos grauiter puniuit, atq; maiora minatus ni desisteret. Cum autem eam censuram eius loci proceres ferre non possent, calumnijs quibusdam ipsum apud Fridericum Barbarossam clam obruerunt, ita ut ille animum suum immerito ab Heinrico alienarit. Eadem etiam ab aduersarijs apud Eugenium pontificem agebantur. Itaq; is duos legatos Moguntiam misit, ut eum officio suo priuarent atque alium substituerent. Erat autē harum rerum Heinricus penitus ignarus.